Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



EXO

ces mane et obtulerunt holocausta et hostias pacificas et sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. Locutus est autem dominus ad moysen dicens: Vade descende peccauit enim populus tuus quem eduxisti de terra egypti. Recesserunt cito de via quam ostendisti eis. fecerunt sibi vitulum conflatilem et adorauerunt atque immolantes ei hostias dixerunt: Isti sunt dii tui israhel qui eduxerunt te de terra egypti. Rursum que ait dominus ad moysen: Video quod populus iste durae cervicis sit. dimitte me ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos. faciam que te in gentem magnam. Moyses autem adorabat dominum deum suum dicens: Cur domine irascitur furor tuus contra populum tuum quem eduxisti de terra egypti in fortitudine magna et in manu robusta. Ne quid dicant egyptii: callide eduxit eos ut interficeret in montibus et deleret de terra. Quiescat ira tua et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare abraham ysaac et iacob seruorum tuorum quibus iurasti per temet ipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas celi et universam terram hanc de qua locutus sum dabo semini vestro et possidebitis eam semper. Placatus que factus est dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum. Et reuersus est moyses de monte portans duas tabulas testimonii in manu sua tabulas scriptas utrasque parte digito dei et opere dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem iosue tumultum populi dixit ad moysen: Vox bellantium audiitur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam nec vociferatio compellentium ad fugam sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra vidit vitulum et choros quos que valde proiecit de manu tabulas et confregit eas ad radicem montis. Arripiens que vitulum quem fecerant combussit et contrivit usque ad pulverem quem sparsit in aqua et dedit ex eo potum filiis israel. Dixit que ad aaron: Quid tibi fecit hic populus ut in duceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus tu enim nosti populum istum quod promptus sit ad malum. Dixerunt mihi: fac nobis deos qui precedant nos. Huic enim moysi qui eduxit nos de terra egypti nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum afferat ad me. Tulerunt et dederunt mihi. Et proiecimus in igne illud. Egressus que est hic vitulus. Videns ergo moyses populum quod esset nudatus spoliauerat enim aaron eum propter ignominiam sordis et inter hostes medium constituerat et stans in porta castrorum ait: Si quis est dominum sequitur mihi. Congregati que sunt omnes filii leui. Quibus ait: Hec dicit dominus deus israel ponat vir gladium suum super